

onymia illa sacramentaria in tota predicatione. Ergo approbari non debet.

76. Assumptionis membra ordine probantur. Pugnatur ea metonymia cum natura tropi. Nam in omni tropo est nominis alieni pro nomine proprio positio, inquit, P. Ramus, consentiente universo probatissimorum Rhetorum choro, sine ulla exceptione. In ea vero propositione (edite, hoc est corpus meum) non est nominis alieni pro nomine proprio positio, quod ipsi huius novae metonymiae defensores expresse fatentur, & nos firmissimis rationibus demonstramus. Quare in ea predicatione non est tropus. Deinde omnis tropus est in una dictione, quod solidissime demonstrat praestantissimi Rhetores, in eoq; discrimen ponunt inter tropum, & figuram. Cui verissima sententia non est opponenda tropi continuatio in integra sententia. Nam ea non est nova species tropi, sed tropi affectio: nempe idem tropus in pluribus vocibus continuatus. Nulla vero integra praedicatio est una dicitio: quia ad minimum in predicatione sunt duae notiones sive argumenta, quae non possunt comprehendi unica voce. Vbi non obijcies orationem Ellipticam, quando unica voce tota sententia effertur. Nam ibi omissa vox, vel etiam omissae voces subintelliguntur. Quare in nulla integra predicatione est tropus.

77. Denique omnis tropus sumitur ex categoria causa, effecti, subjecti, adjuncti, dissentaneorum, similium, & parium. Atqui tota praedicatio non potest referri ad unam aliquam classem istorum argumentorum. Non enim pertinet ad inventionem topicam, sed ad dispositionem. Quare in tota predicatione non potest esse tropus. Si specialiter hoc argumentum proponere velis contra metonymiam sacramentariam, tale erit. Omnis metonymia est causa pro effecto, subjecti pro adjuncto positio, vel contra. Atqui in integra predicatione, quatenus est praedicatio, non potest dici causa pro effecto, subjectum pro adjuncto poni, vel contra. Quare in integra predicatione, quatenus est praedicatio, non potest esse metonymia.

78. 2. Metonymia illa sacramentalis confundit principia

D

&